Honori ultimo

&

Memoriæ beatæ ac sempiternæ

Viri Clarißimi & Excellentißimi,

DNI. M. MARTINI LEUSCHNERI,

Jllustris Pædagogij Stetinensis Rectoris & Philosophiæ Professoris per multos annos præclarissimè meriti,

Quem natum Friberga Misnicorum 2. Febr. Anno M. D. LXXXIX.

Terra excepit,

XVIII. Junij, Anni labentis M. DC. XLI. piè defunctum Universitas Cœlestis recepit,

Mortale in ipso quod erat, nobis relicto, quod

XXI. Hujus Mensis, Terræ, in Æde Marianâ, Christiano ritu, mandandum:

SACRUM.

SEDINI,

Literis GEORGII GOETSCHII,

ANNO 1641.

PHosphorus Aonidum splendens, præstansq; juventæ
Doctor LEUSCHNERUS munere functus obit.
Munere functus obit, dum munus funere claudit,
tempore, quo Sacri Flaminis ardet opus.
Reverâ, jussu Sacrati Flaminis, orbem
LEUSCHNERI linquit Spiritus, astra petens.
Sensit in orbe parum mercedis, mole laborum
quantumvis pressus nocte dieq; gravi.
Propterea accessit cœli terræq; Monarcham,
morte duce, ut caperet digna labore suo.
Nunc audit summi plaudentia verba Brabeutæ:
SERVE BONE, ACCIPIES GAUDIA PAR-
(TA TIBI.

JACOBUS FABRICIUS D.
Superintendens.

ET caput & fundamen eras, LEUSCHNERUS,
(Lycei.
Nam tua magna fuit doctrina, incognita vulgo,
Sedulitas, probitas, virtus, studiumq; merendi,
Et suavis gravitas, omni veneranda juventæ,
Cui meliore luto præcordia ficta fuerunt.
Te moriente cadit nostræ spes magna juventæ,
Gymnasiiq; ruunt muri & fundamina nostri.
Ergo dolet meritò, Te quiscunq; usus amico est,
Cui studiosa cohors, secli spes magna futuri,

Cui

Cui pietas, virtus, & doctrina incluta cordi est.
Cordolium magnum tanta, heu! jactura meretur.
Nuncius ille mihi certè tristissimus aures
Non tantùm, duro sed pectora perculit ictu.
Sed quid agam? DOMINO placuit quodcunq; fe-
(rendum est.

paucis his suam συμπάθειαν testari
voluit

CHRISTOPHORUS SCHUL-
TETUS D.

Est Viduæ tristis defuncti Conjugis hæc mors,
Est soboli Patris mors qvoq; mœsta sui,
Rectorem meritò luget studiosa Juventus,
Plangit & ob Patris funera mœsta sui;
Afficit hanc Vrbem non tantùm funus & hocce,
Sed Patriæ mors est hæc lachrymosa meæ:
Namq; Parens animi Juvenum migravit ad astra,
Doctorumq; Pater cœlica tecta subit.
Arguit infensum Numen sed funus acerbum,
Et studijs Juvenum noxia multa feret.
Barbariem metuo studiorum: namq; Scholarum
In Patria semper mœsta ruina manet,
Ah qvædam servet studiorum lumina Numen,
Soletur Viduam, pace beetq; solum!

MICHAEL RASSCHIUS
D. & Syndic. Stetin.

LEUSCHNERO BEATO,
VIRO OPTIMO,
Affini, Collegæ, Compatri, Vicino, ut Fratri
dilecto, honori & memoriæ.

SIc, eheu, vitam ponis LEUSCHNERE, repentè,
Gymnasii columen, pectus, Amice, meum!
Nec valuit Pietas, Prudentia, Cura Fidesq;:
Omnia prostravit Mortis iniqva manus!
Plangite Discipuli, cunctâ qvos arte replere
Mirandâ studuit sedulitate Pater.
Religiosa cohors, nostri incrementa Lycei
Qvæ qværis, meritò tristia damna dole.
Sed qvid prolixis lacrymis, qvid deside planctu
Proficitur? Trux Mors respicit ista nihil.
Jam novus excelsi Rector *cluit incola Cœli,*
Exutus curis, justa brabea capit.
Fama celer spargit nomen, qvod secla loqventur,
Laudabunt semper pulpita grata Scholæ.
Nos reqviem cineri, pacem mentiq; precati
Fatorum subitas discimus esse vices.
Tu, DEUS omnipotens, nobis succurre benignè,
Gymnasii cœtum respice, qvæso, tui.
Ductoremq; Gregi Tu suffice, gloria nunqvam
Hic ut deficiat, culta Juventa, Tibi.

CHRISTIANUS Groß D. Ecclesiast. Mar.
& SS. Th. Lq; Professor.

IN OBITUM
CLARISSIMI VIRI
DN. M. MARTINI LEUSCHNERI,
PHILOSOPHI EXIMII.

O Varias rerum sortes, properataq; doctis
Fata Viris, studii nescia continui.

LEUSCH-

LEUSCHNERUS Sophiæ jam sæpè absolverat orbē,
Res sui Aristotelis, Res quoq; Socraticas:
Et meditabatur nonnulla expromere in usûs,
Digna cedro, Pubes ô studiosa, tuos.
At sub solstitium vis quædam morbida vexat,
Vexat, & occidit solstitialis eum.
LEUSCHNERUS vivus, memini, sibi sæpè qvietem
Invidit, lecto languidulus recubans.
Heu! nunc qvem sancti tot confecere labores,
Fata qviescendi huic tempora longa dabunt.
Ecce! rosas ideò jam fert, & lilia tellus,
LEUSCHNERUS sub ijs molliter ut recubet.
Nam pietatis amor, & rarus pectore candor,
Mens illi sapiens, mens quoq; pura fuit.
Sed Tu LEUSCHNERUM defle, studiosa Juventus,
Qvi fuerat vestri cara corona chori.
Et nos unanimes LEUSCHNERI fata dolemus,
Qvòd poterat vestrum multiplicare decus.
Conservet Dominus reliqvos eâ in arte Magistros,
Qvîs ducibus crescat macta Juventa bonis.
LEUSCHNERI verò laus est mansura per ævum,
Indolis ipsius visq; superstes erit.
Spiritus æthereas per lethum est raptus ad arces,
Terra tegit corpus, nescia Fama tegi.

Lugens apponebat Die 13. Cal. July Juliani,
qvi etiam olim Qvintilis dictus est,
fer. 7. cIↄ Iↄc XLI.

LAURENTIUS EICHSTADIUS Med. D.
& Physicus ordinar. Stetinensis.

Clarus LEUSCHNERUS cecidit, truculentia mortis
Qvem, dolor heu! rapuit præproperè ante diem.
Scilicet hunc fuerat fas vivere Nestoris annos,
Culmen ob Ingenij Judicijq; sui.

Doctor fidus erat pubis, nulliq; pepercit
Sudori, hinc fractus viribus, Ecce! cadit.
Vivit at Ingenio, permensus plurima vitæ
Tædia, nunc & ovat liber in arce poli.

Contestandæ seriæ condolentiæ ergo
lugens apposuit

NICOLAUS Schultz D.

QVi fuit exemplar sanctæ memorabile vitæ,
Hujus & illustris Gymnasiarcha Scholæ,
LEUSCHNERUS rarâ pietate verendus,& ingens
Doctrinâ, vitæ purus & absq; dolo:
Qvo duce per varias artes deducta Juventus,
Ac indefesso docta labore fuit,
Mortuus occumbit,dolor heu! sed corpore: mente
Qvâ valuit,magno vivit & Ingenio.

Extr. honoris ca. adpon.

JOACHIMUS Hammermeister/
Ordinum prov. Syndicus.

ERgóne tam subitò,multos LEUSCHNERE per annos
Qvi mihi junctus eras,proh dolor abriperis!
Ah quoties Numen pia sum per vota precatus,
Ne tua me sineret fata videre senem!
Sed spes vana fluit,ventis mea vota feruntur.
En tua me tandem funera flere jubes.
Qvos mea supremos pietas tibi solvat honores,
Ad Pubem nostram triste Programma notat.
Pluraq; dum vetor hic, spatijs exclusus iniqvis,
Effari,saltem nunc tibi dico Vale.

Æter-

Æternùm, Divis sociatus, vivis ovasq;:
Hîc tua per famam nomina clara manent.

Doloris acerbi & desiderij anxij plenissimo
Collegæ & Fratri optimo poneb.

M. HEINR KIELMANNUS, Gr. Ling. & Poës. Prof. & C. P. S.

Beato suo LEUSCHNERO mœstus MICRÆLIUS hæc ultima verba dicat.

SIC mihi Stetini cum Fato est lucta perennis?
Sic urget pectus non minuendus Agon?
Sic vix annus abit, vix mensis clauditur alter,
Quo lacrimis non sint lumina trita novis?
Altera jam conjunx, fœtus lugubre sepulcrum,
Occubuit, sævæ falce resecta Necis.
Credideram, quoniam prior illa à prole morante
Suffocata fuit, mitia Fata dari.
Sophrosynâ extinctâ, Sophiam tutam esse putaram:
Hæc sed & ipsa cadit, prole negante viam.
Sic non uxores solæ cecidere: Duarum
Funera mors misero quadruplicata dedit.
Nec satis id Fato. Socrum, Socerosq; peremit
Binos: par pulcrum, si fateare, virûm.
Alter erat nobis Pater, O LEUSCHNERE BEATE,
Communis. Socerum dicere non satis est.
Nam meruit virtus Pratoria, ut illud amatum,
Illud suave caput, nomine Patris eat.
Alter erat Patriæ atq; Chori Pater, optimus ille
Reutzius. Ast illum nox quoq; cæca premit.

Nec

Nec satis id Fato. Septem mihi Reutzia de me
Conjunx filiolos filiolasve dedit.
Tres licet illorum manibus tractare paternis:
Quatuor involvit trux Libitina sinu.
Nec satis id Fato. Tres tristis Avunculus umbris
Consecravi animas, vix animam ipsus agens.
Nec satis id Fato. Patuit mea janua morti,
Seu mihi herile fuit, seu famulare genus.
Quid de cognatis reliquis, reliquis & amicis
Dicam, quos Morta messuit atra manus?
Nec tamen id satis est. Ex quatuor una Sororum
Hîc, patriâ mecum sede profecta, mihi est.
Carior hac anima mihi: sed tibi clare locata
Antistes Fabrici, vir pie, amate DEO.
Hac, æstu sensim penetrante exesa, minatur
Egressum, Numen nî prohibere velit.
Huic dum do curas, gemitus, lacrymasq́, lacessens
Jam Medici curas, jam, DEUS alme, tuas:
Ecce cadis, LEUSCHNERE, meus! meus ille Sodalis,
Affinis, Frater, Compater, ecce cadis!
Te colui Juvenem Juvenis: Cathedra una Lycêi
Nos iunxit; junxitq́ hactenus unus amor.
Quintum agitur lustrum, postquam tibi, AMICE, sacravi
Hoc pectus, jurans jus pium amicitiæ.
Nec vulgaris amor mentes sociavit amantum:
Nam vulgi mores sprevimus ambo vagi.
Si quidquam abstrusi Sapientum turba premebat:
Si quidquam ratio non dabat apta Sophis:
Pagina si sacri nos suspendebat inertes
Verbi, nec sensus mystica verba dabant:
Hic labor unus erat, procul omni labe furentis
Ætatis: levitas & procul omnis erat.
Constitit hinc firmo felix constantia amori:
Rancoris, memini, nec fuit ulla seges.

Nec,

Nec, credo, inventus quisquam est, qui posset, AMICE,
Vel dixisse tibi, vel voluisse male.
Sic pietas cunctis te commendavit, iniquum
Ut dicam, qui Te non adamare velit.
Non jam, quos alijs insumseris usq; labores,
Non illas laudes dicere curo tuas.
Curent, Doctores qui te Doctore vocantur:
Curent, queis splendet lux sua luce tua.
Me luctus macerat. Careo te Fratre. Quid inquam?
Ipsa anima careo, solus & orbus agens.
Sed te non careo, DEUS optime maxime. Tu tu
Omnia es unus: & es solus & omnis Amor.
Id tantùm oratum venio. LEUSCHNERUS obivit
Frater: Fac vivat, quæ dolet ægra SOROR.

EST à Marte Tibi nomen, MARTINE beate;
Certasti felix in statione Tua:
Nunc, usq; ad mortem quoniam, LEUSCHNERE, fidelis
Sub CHRISTO es miles, parta Corona datur.

Ita
piè defunctum alloquitur
M. Sebastian Wolffgang Höpffner/
ad D. Joh. Pastor.

I.

Ad piè defunctum.

QVòd labor atq; dolor sit vita hæc, testis abundè es
LEUSCHNERE, ô animi portio cara mei.

Namq;

Namq; alijs operam dando consumeris ipse,
Ac præmaturâ morte peremptus obis.
Hactenus en multos docuit tua Musa fideli
Assiduaq; operâ: nunc jacet atq; tacet.
O utinam vitam licuisset ducere in annos
Plures & fungi munere porrò tuo!
Ast nunc orbantur (dolor heu!) Rectore Lycéum,
Et nati, & conjux patre viroq; suo.
Verùm sic visum est DOMINO, cui subdita cuncta,
Cujus & in manibus sorsq; salusq; piûm.
Qvo volet ipse omnes nos tempore ritè seqvemur.
Interea salve Mens pia, vive, vale.
Non Doctrina potest, Pietas Virtusq; perire:
Hinc tua perpetuò Gloria, Fama viget.

2.

Defunctus loqvitur.

QVi fueram cinis, in cinerem nunc, ecce, redactus
Hic cubo: sed cinis hic mox redivivus erit.
Ossa teguntur humo; sed mens colit astra beata,
Rursus in extremo consocianda die.
Qvisqvis es, omninò sic discito vivere, qvondam
Ut vivas, terris cùm moriere, polò.
Nil mundana valent: felix, qvi sangvine Christi
Salvifico nixus, lumina claudit ovans.

3.

In Obitum & Tumulum

EJUSDEM.

LEUSCHNERUS cecidit, qvem vexit ad æthera Virtus,
Qvi fuit & Sophiæ lumen & Eusebiæ.
Prodito in funus, qvi doctus es: omnis acerbè
Plangito Pierij grata caterva chori.

En tu-

En tumulum & titulum, qvi transis postea, nosce:
LEUSCHNERUS *situs hîc*: nomen & omne tenes.

SANCTÆ MEMORIÆ
Dn. Collegæ & Amici sui, ut fratris, hactenus
conjunctissimi, nunc desideratissimi
inter debita suspiria scrib.
M. ERICUS PELSHOFERUS,
Ducal. Pædag. SubR. Eloqv. Prof.

I.

ILLustris Rectorq; Caputq; Decusq; Lycéi
Leuschnerus moritur! fle studiosa Cohors:
Namq; Tui Capitis fulgens est lapsa corona,
Cujus præsidiô res tua salva fuit.
Qvippe Tuis studijs dabat incrementa stupenda,
Illius ut ductu doctior esse qveas.

II.

SI tollas Domui minitanti fulcra ruinam,
Decidit, & lapsu dat graviore sonum.
Illustris Ludi nutantis, Marte furente,
Leuschnerus fulcrum, subsidiumq; fuit.
Tollitur Ille! suô sine stat fulcimine Ludus!
Ne ruat omninò, Tu, DEUS alme, cave.

Ultimis honoribus amicissimi sui Favitoris
lubens lugensq; posuit
M. Martinus Bambamius, PL. & Scholæ
Sedin. Senat. ConR.

FLeto pijs lachrumis, Leuschnerum, Triste Sedinum,
Rectoremq;, Cohors ô studiosa, Tuum.
Pierides Musæ, Phœbus, Sophia atq; Minerva
Ecce, dolent tantum succubuisse virum.
Dignus erat vitâ, famâ, virtute perenni;
Officium summâ sedulitate gerens,

Pulpita Philologis auxit cathedrasq; Magistris
Tot loca Presbyteris consulibusq; Sophis.
Novimus amissum, novit sed nemo futurum,
Quando loco similis restituetur Homo.
Vixit, adhuc vivit, nam fama per æthera clangit
Laudem immortalem, qui bene vixit, habet.

Testandæ condolentiæ ergo apposuit
Johannes Andreæ Padelgar, Silesius.

In obitum Luctuosissimum & præmaturum, & ex luce hac dolorificum abitum Clarissimi atq; præstantissimi Viri,

Dni. M. MARTINI LEUSCHNERI,

Philosophi atq; Philologi excellentissimi, nec non Ducalis Pædagogij Stetinensis Rectoris *& Professoris vigilantissimi, fidelissimi, Amici atq; Fautoris sui syncerè dilecti;*

Musas inde turbatas atq; afflictas, eâ, quâ potest, mœrentis animi intentione solari conatus paucula hæc scribebat

CASPARUS JANTHESIUS.

NUgamur, mortemq; procul, procul esse putamus:
At medijs latet hæc abdita visceribus.
Scilicet ex illa, quâ primùm nascimur, horâ
Prorepunt junctô vitaq; morsq; pede.
Partem aliquam furtim, quâ se metitur & Ipse,
Surripit è vitâ qualibet hora tuâ.
Paulatim morimur: momentô extinguimur unô;
Ut lampas oleô deficiente perit.
Ut nihil interimat, tamen ipsô in tempore mors est,
Et nunc interea dum loquimur, morimur.
Colmariæ *qvondam hæc legi dicteria pulcra:*
Quæ cecinit comptô Doctus Apollo *modô.*
Non saltem Doctis contingunt talia: Verùm
Ipse etiam Phœbus *sentit amara sua.*
Angores multos studij, magnosq; labores
Quanquam Leuschnerus *pertulit usq; pius;*

Dum

Dum Rector *fuerat fidißimus ille juventæ,*
Strenuus & Doctor, magnus & Artis honos:
Non tamen is valuit mortis vitare dolores:
Mortalis siquidem nascitur omnis homo.
Quocirca Dominus *nitidis qui præsidet astris,*
Pro lubitu justos ad sua Regna vocat.
Cùm videat Doctos contemni, hinc jussit adire
Doctorem juvenum Cœlica Regna bonum.
Quæ verè nactus LEUSCHNERUS, candidus æqui
Et Justi Cultor, Pieridumq; *decus.*
Nunc meritò ridet fastum & ludibria mundi,
Et rabiem, demens quâ premit ille Bonos.
Nam sceleris plenus nonnunquam, & falsus amicus,
Innocuum miserè discruciare studet:
Atq; bonæ Famæ præcidere tentat odorem:
Proh! scelus infandum hoc, asperiusq; nece!
Mæstos at recreet Summus Moderator Olympi,
Atq; malos reprimat, saucia corda beans.

SIc igitur, sic ante diem, *præclare Magister,*
Evolvêre Tibi fila rotata colum?
Cui sua debuerant totis impendere fusis
Stamina, Virtuti si remaneret honos.
O LEUSCHNERE DECUS Tê proh! deserta Juventus
Nunc gemit amissum, nunc revocatq; gemens.
Quiq; bilingue sonans mulcebas voce Lyceum,
Voce carens, inter corpora muta siles.
Parva loquor: luget Musarum turba piarum
Nunc omnis, passis turba videnda comis,
Ingenuæ lugent artes & copia fandi,
Ingenio posthac vix habitura parem.
Pars mihi laudis erit, sub Te didicisse Magistrô,
Juncta quibus liceat claudere verba modis.
Salve olim fidus mihi, salve Doctor & Autor,
LEUSCHNERE heu salve, perpetuumq; vale.

Casparus Mejer Jllust. Dicaster Advoc.
& Judicij Stetin. Secret.

Quam citò vanescant fugientis secula vitæ,
curis & lachrymis undiq; plena, querar!
Tollitur heu virtute caput, res inclyta natæ
naturæ donum Palladis arte decus.
LEUSCHNERUS Clarij, mundi mirabile lumen
ô juvenes, vestri Norma beata chori.
Si dotes animi lustrabo, imitabile signum,
in vario mirum lumine lumen idem.
Ingenij vires si specto, nobile monstrum
in terris clarens arte triumphat idem.
Si Sophiæ vires, hic claruit unus in orbe,
Alter Aristoteles, cum pietate Plato
Discessit, fatear, discessit gloria nostra,
cœlitus Aonij missa corona fori.

Ex animi affectu ut debuit
Lugendo
M. EOVVALDUS ZULICHIUS, P. L.
& Juris stud. appos.

προσωποποιΐα Funebris.

TU, qui *Philosophi* nomen, *Leuschnere*, gerebas,
(Quem titulum nactus pro statione datâ)
Sedulus urgebas prolixô id dogmate: jussum
Munus ut ornares, maxima cura fuit.
Doctaq; miscebas, quoties occasio nata est,
Lemmata, quæ poterant rite docere Sacra.
Ingenuo semper cupiebas dicere sensu,
Quæ tibi commisso tunc referenda gregi.
Continua in justo stadio *Solertia* mansit,
Secula nunc quamquam præmia rara dabant.
Non sic te vicit tàm dura molestia: fungi
Sed magis officiô sæpe paratus eras.
Hinc meritus plures nobis superesse per annos,
Nî melius vellet tradere in axe DEUS.
Istic magnificas, *manus ô largissima!* sortes
Porrigit, ut mentes exsatiare queat.

Rector

Rector & è Doctis quidam *Clarissimus* audis,
Translatus, Cœli stella corusca manens.

Clarissimi Viri piè defuncti exequias, pro exhibitis beneficijs grata mente ita concelebrare debuit
BONAVENTURA Werther.

O *Mens chara DEO, cui competit ire sub umbras,*
Inq; manum Summi cùi properare licet.
Hoc jam LEUSCHNERUS sentit, qui ponere vitam,
Cumq; suo Christo vivere, dulce putat.
Nunc ipsi est sine fine quies, sine fine Voluptas,
Quâ fruitur lætus, sanguine, Christe, tuo.

lugens deproperab.
M. ADAMUS RUBACUS.

IN qvod, prô! LEUSCHNERE, tuâ transcribimur omnes
Morte malum? Nati carô Patre, Conjuge Conjux,
Affines Affine, & Amicô orbantur Amici,
Nec non sincerô Doctore sacrata Juventus
Musis. Vah damnum! Vah non reparabile damnum!
Hinc plangunt Nati, luget dulcissima Conjux,
Affines mœrent, valdè tristantur Amici,
Et qvestum gemitumq; movet studiosa Juventus.
Sed *Tu* lætus ovans in cœlo magna brabeja,
Queîs dignus, capis, â cunctôq; labore qviescis.
Successum non carpamus, modò mors tua Natis,
Uxori, Patriæ atq; Scholæ, nobisq; relictis
Integra. Quod qvæso concedas alme Jehova.

Ita dolenter deplorat obitum Affinis sui longè desideratissimi
M. CHRISTOPHORUS PRÆTORIUS.

SI Sophia *est pulcræ* mortis meditatio, *nec non*
Eximius vitæ nobilioris amor,
Si Sophia *alma* animi *dici* medicina *meretur,*
Si Sophia *ut* splendens stella *micare facit:*

Quàm

Quàm pulcram mortem meditatus es hactenus, ô quàm
Nobile vivendi Te scio amasse genus,
Philosophos inter præstans fulgore corona
Leuschnere, *Jllustris gloria prima Scholæ.*
Quàm doctè teneras sano medicamine mentes
Juvisti, Aonium rectâ docendo gregem.
Quàm mirè fulgens, instar rutilantis Olympi,
Sparsisti nobis, stella corusca, jubar.
Non igitur moreris malè post pia fata superstes,
Et tua damna levas Vir medicâ arte potens.
Hac ergo gaude, Senior Venerande, beatâ
Sorte, polumq; orna lumine, ut antè solum.

Debiti Honoris ergo suo olim Præceptori præclarè de se merito ita parentab.

THOMAS WISMARUS, Sch. Stetin. Sen. SubR.

FErtur Anaxagoras Naturæ arcana latentis
Scrutaturus, opes posthabuisse soli.
Publica neglexit, privataq; nullius asis
Censuit, unus amor, lux, Sophia alma, tuus.
Sic qvoq; *Leuschnerus* doctorum splendida lampas
Non nisi cœlestes qværit anhelus opes.
Felix ille qvidem sapiens, qvem pectoris ardor
Entheus ad cœli pulchra theatra tulit.
Leuschnerus tamen est multô *felicior* illo,
Nam Christum didicit nec minùs hunc docuit.
Jgnarus fuit ille Dei, ignarusq; salutis,
Divinâ hic intrat cognitione polum.
Leuschnerus certè sic *felicissimus* audit,
Pectore qvi cœlos occupat atq; Deum.

Testandæ erga Piè Defunctum condolentiæ ergo scribeb.

JODOCUS ANDREAS Hiltebrandt.

F I N I S.

